QUO TENDAT MEDICINA NOSTRA HODIERNA.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE V. M. APRILIS A. MDCCCXLIII.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET

AUCTOR
FRIDERICUS GRAEVELL
VRATISLAVIENSIS.

OPPONENTIBUS:
G. SCHAARSCHMIDT, med. et chir. Cand.
C. SEYDEL, med. et chir. Cand.
O. ROLAND, med. et chir. Cand.

BEROLINI,
TYPIS NIETACKIANIS.

Formae ac species mutabiles, idea perstat.

VIRO

CLARISSIMO, FORTISSIMO,

EQUITUM PRAEFECTO REGIO,

PUGNIS PROELIISQUE SPECTATISSIMO,

GUILELMO

PATRI

AMANTISSIMO, CARISSIMO

HASCE

LITERARUM PRIMITIAS

QUANTUMLIBET PARVULAS

PIO GRATISSIMO ANIMO

DEDICAVIT

AUCTOR

PROLEGOMENA.

Si nullius fere pretii habenda sit operis cujusdam promulgatio, nisi aut re vera novas, aut certe sui ipsius auctor afferat sententias, quum, peracto vixdum curriculo academico, ad literarum honores conscribenda dissertatione accedere nobis propositum sit, emensuris vixdum per brevissimum quadriennii spatium, res non modo naturales omnes, sed cunctas medicinae, chirurgiae, ophthalmiatrices et artis obstetriciae disciplinas, et praeceptorum quidem verbis ac librorum fortasse praestantiorum quorundam cognitione, nulla vero adhuc experientia ipsa imbutis,

haud facile nobis tributum esse negotium, neminem haud dubie fugerit. Quum igitur aut verba sola magistrorum, aut quae ex operibus aliis compilata sunt, referre in dissertatione, pro nihilo equidem duxerim, spreta gloria ista, ex bonis alienis sumta, spretaque ostentatione, quae innumerabili congesta undique collataque citatorum cohorte, propriae scientiae defectum aliorum scriptis explendo doctrinae immensae rapina industria frustra speciem quaerere studet, repudiato omni falso hoc scientiae ornamento, si sententias mei ipsius potius, quantumlibet exiguas, quam compilatas afferrem, melius vel candidius quidem rem me exhibiturum ratus, defendendam in dissertatione artem nostram contra injustum hominum quorundam opprobrium, quo medicinam plerumque, *quasi ars esset ambigua, in qua nihil constans, nihil certum, auxilii solatiique paucum*, criminantur, libentissimo ego animo suscepi.

Quod argumentum si ceteris omnibus in conscribenda dissertatione praetulerim, hoc ne-

minem fere vituperaturum credo. Nonne enim artem quam praestantissimam quispiam ex omnibus sibi elegerit, contra injustam et iniquam imperitorum hominum incusationem defendere summopere unumquemque decebit? Quis autem, quaero, profecturum sese quidquam in arte ulla unquam credat, nisi toto eam animo et pectore atque omni amore amplectatur? In altera vero parte, quoniam ad pertractandum hoc argumentum *de medicina praecipue nostra hodierna, qualis sit et quo tendat*, exponendum explorandumque erit, qui ad summos modo artis honores accessurus est, *num de artis suae statu plane conscius sit, nec ne*, tali eum demonstratione profiteri, haud ineptum fortasse videbitur.

Quae quum ita sint, suscipere jam defensionem hancce artemque dilectam contra impia imperitiae tela pro virili mea parte sustentare conatus, si forte minus consilio proposito et exspectato responderim, quod aut plenior fortasse artis amoris nimium ei laudis tribuerim,

aut, nulla adhuc experientia peritiaque solida fretus, in errores interdum inciderim, hoc, qui legerint dissertationem meam, benigno velim animo excusent.

Medicinae historiam pervolventibus videri omnino ita possit, ac si nulla disciplina medicina sit inconstantior ac variabilior. Nulla enim fere in toto saeculorum decursu tot systemata, quot illa, et tam diversa et repugnantia prorsus inter se vidit, quae omnia fere ex ea causa profluxerunt, quod aut ***theoriae*** se dediderunt medici simplicissimae, quae nullis naturae legibus nixa, ex angustissima et tenuissima rerum contemplatione orta, totam morborum naturam ad unam tantum rationem tractari voluit, aut quod, spreta omni omnino ratione, quia fallacem theoriae cujusque eventum spectaverant, nihil tandem nisi ***empiricen*** crassissimam instituerunt. Utramque vero partem valde erravisse, haud difficile apparet. Nam qui rationem omnem in tractanda arte neglexerunt, quia in rerum naturam non intrarunt, in tenebris semper versabantur, qui autem ex una lege naturam totam tractari posse opinabantur, eam ob causam maxime erravere, quod natura non unam, sed plurimas omnino leges maximeque varias ac multiplices observat.

Atria igitur historiae medicinae inspicientibus transeunt nobis ante oculos scholae medicorum plurimae et multifariae, una post alteram, sicut temporum decursus

eas evolvit: *dogmatica et methodica*, *empirici*, *pneumatici et eclectici*, *Galenistae et Arabistae*, *chemiatrici et spiritualistae*, *iatromathematici*, *solidistae*, *humoristae*, *dynamistae et organistae*, *Browniani*, *contrastimuli asseclae* et alii multi; quorum systematum multitudo summa haud immerito miratione nos afficere possit, nisi memores essemus, temporis cujusque opiniones et cogitationes systematibus quoque medicinae plus minusve sese semper impressisse. Quanti enim momenti in omnibus tractandis artibus et literis, imprimis autem in medicina quoque opiniones illae et cogitationes et philosophicae praecipue, quae inde oriebantur, temporis cujusdam notiones fuerint, omnium saeculorum planissime nos historia docuit. Sic ex philosophiae systematibus, prout valebant et florebant quibusdam temporibus, orta plerumque sunt medicinae illa systemata, quae, angustiora etiam saepissime et tenuiora philosophia, ex qua principium duxerant, novam quandam lucem in terram propagatura, reformandaque tota disciplina, spectatissimam jam nunc et firmissimam aegro hominum generi anchoram allatura sese quamvis putarent, re vera autem nihil aliud efficiebant, nisi quod sententiis suis et doctrinis, quas ex principiis philosophiae tunc valentis, sive *peripateticae*, sive *Cartesianae*, *Leibnizianae*, *Wolfianae* etc. demonstrare non negligebant, imperitorum animos ad admirationem et laudem ineptam atque ad imitationem induxerunt.

Sed quemadmodum meteoron, quod ex nebula inani se conformavit, quantumvis splendescens, vixdum emersum jam extemplo eliditur exstinctumque subito de coelo evanescit, sic et splendida illa in medicina monumenta

sicut phaenomena aëria mox evanuerunt, nullo fere relicto effectu, nisi irrisum movent nostrum, quod non solum auctor systematis ipse, sed tot ejus imitatores et asseclae stolidi luce quadam delusi sunt fallaci, qua medicus probus ac justus nunquam tangi potuerit.

Quid igitur diversitas illa et varietas opinionum systematumque contra medicinam demonstrat? Nihil utique. Etenim fallacibus istis si nonnulli cogitationibus agitabantur, ii medicinae ingenium indolemque nequaquam cognoverant, et si nihilominus gavisi sunt sectatorum cohorte, hoc argumentum praebet prorsus exiguum, quo medicina ipsa nunquam potest offendi. Hoc enim inde ab omni tempore ita factum est, ut qui re vera conscii essent artis, multo minorem semper numerum tenerent, imo perpauci tantum interdum exstiterint, quum plerorumque turba ac multitudo forensis variis semper et cogitationibus et opinionibus fuerint obnoxiae. Sed medicina per deum non pendet ab ejusmodi hominum cogitationibus neque societatem habet cum vanitatis studiis, quibus turba levis et credula velut igni fatuo ultro citroque jactatur, verum ars est amplior et excelsior, socia fidelis naturae, quae nullam legem statuit nisi sumtam ex illius observatione, neque doctrinam ullam scientiamque agnoscit, nisi experientia ipsa probatam et spectatam. Haec ars ea est, non systematis cujusdam serva et ancilla, sed ***Hippocratica*** illa, libera et divina, in justa ac mera naturae observatione fundata, quae quotiescunque studiis perversis et inanibus deformata, omnibus nihilominus tamen temporibus juste recteque a nonnullis et cognita et adhibita est, sicut ***Harveii***, ***Sydenhami***, ***Boerhaavii***, ***Heimii*** nostri, aliorum

clarissime nobis exempla demonstrant, qui etiamsi in perversissimorum et absurdissimorum systematum temporibus vitam degentes, liberam tamen a fallacibus quibusque mentem opinionibus servarunt, naturae soli fideles et confidentes, neque tamen in extremum alterum incidentes, ut, abjecta omni et neglecta ratione, empiricae tantum se dederint ineptae. Imo rationem cum naturae studio et experientia conjungendam consociandamque optime curarunt, indeque potissimum tanti, quanti fuere, sunt viri facti. Sed transeamus nunc ad medicinam nostram hodiernam, ***qualis sit et quo tendat et num speciem ita praebeat ambiguam et ancipitem, nec ne*** contemplaturi.

Hodiernae medicinae si ingenium et indolem perscrutamur, hanc ei laudem abnegare non possumus, multo etiam intentius, diligentius et accuratius, quam antea unquam factum sit, naturae studium eam recepisse tractandumque instituisse. Non enim ad systematis cujusdam legem morborum explicationem curationisque normas instituere conatur, sed, spretis inanibus istis rebus abjectisque omnibus liberae indagationis vinclis, cum omnibus naturalium rerum disciplinis intimam iniit societatem innumerabilemque inventorum copiam, qua nostris temporibus illae nos locupletaverunt, acquisitam sibi, in usum proprium convertendam adhibendamque curavit. Hac via, nempe experiendo ipso et spectando et investigando in intimam morborum processusque morbosi naturam et in commutationes omnes et combinationes, quae inde oriuntur, tum etiam in rationem ipsam, qua remedia efficacia evadunt et quomodo vitam alterant, intrare studebat. Quibus indagationibus, etiamsi ad perfectum jam

finem certamque absolutionem nondum pervenerunt, quot quantaque tamen jam producta et procreata sint, quis est, qui ignoret?

Successum hunc, quo medicina nostra gaudet, prosperum, quum aliarum rerum naturalium disciplinarum, tum ***physiologiae*** imprimis progressibus debet, quae inde ab ***magni Halleri*** temporibus, experimentis praecipue microscopicis investigationibusque microtomicis, quibus particulas quasi minutissimas vitaeque actiones secretissimas prosequi et introspicere valebat, tantum in modum jam processit, ut plurimarum rerum prorsus novam nobis explicationem explanationemque dederit, priorum opinionum et cogitationum in omnibus fere errores demonstraverit. Neque tamen haec ipsa physiologia tot tantaque unquam proficere potuisset, nisi adjuta fuit in iisdem studiis aliis quibusdam disciplinis, quae inde ab illo tempore ortae, novissimis tamen demum temporibus magis magisque excultae sunt, *anatomia* nempe et ***physiologia comparativa***, quae organorum singulorum systematumque corporis indolem et naturam, vim et effectum ex comparandis variis speciebus earumque institutione derivare conata, universalis accuratius jam vitae actiones cognoscere studebat, tum vero et ***pathologica***, quae, proxima nobis medicis, quia aegrotantis naturae vitaeque vitiosae et a norma aberrantis leges mutationesque nos docet, inchoata fundataque primum a ***Meckelio***, nunc ***Muelleri***, ***Rokitansky***, aliorum studiis subtilissimis indagationibusque microscopicis ad prosperrimum jam successum provecta, fructus nobis saluberrimos et praestantissimos adtulit.

His tertia accessit *chemia* quum universalis tum

imprimis *organica*, quae ducibus ***Berzelio***, ***Liebigio***, ***Woehlero***, al. tam mirifice nostris temporibus effloruit, ut copiam nobis inventorum experientiaeque tradiderit, percipiendam vix retinendamque mente, utque exsistere virum quendam summum, qui totam inventorum experientiaeque copiam in statum simpliciorem ordinemque quendam rationalem ingenio judicioque redigat, necesse jam esse videatur.

Talibus exstructae auxiliis et subsidiis contingere potuit medicinae nostrae hodiernae, ut, quamvis plurima desideranda, multa prorsus incognita nobis remanserint, multa tamen in natura morborum rectius accuratiusque perspexerit, ita ut non in complexu quodam symptomatum, ex qualitatibus externis physicisve oriundo, neque in processibus chemicis, humorumve et partium solidarum dyscrasia aut dysharmonia, sicut antea putabatur, sed in processu quodam ipso vitali multiplici valde et complicatissimo eam ponentes, id quod ***Paracelsus*** ingeniosissimus jam olim cognoverat et perspexerat, ubi ait:

»ein jegliche Krankheit ist ein ganzer Mensch und
»hat ein unsichtigen corpus und ist ein corpus mi-
»crocosmi und ist auch microcosmus,«

non creditum solum et praedicatum, sed certis jam nunc rebus probatum demonstratumque habeamus. Quaerenda enim perpetuo scientia nova et intelligentia, adhibita impigre ubique novorum expertorum copia, morborum omnino cognitio nostra haud parum emendata, aucta et amplificata est, quum symptomatum jam plerorumque nexum inter se causamque ipsam intimam et primariam perspiceremus, quare multa, quae tanquam morbi distincti

a veteribus descripta sunt, non pro morbis sed pro symptomatibus tantum aut certis morborum stadiis habemus, multas contra species, quae veteribus prorsus ignotae, proprias et distinguendas instituimus.

Inde jam colligi potest, signis ad dignoscendos morbos multo profecto nos certioribus et praestantioribus usuros. Omnino autem negari nequit, totum morborum procesum et decursum cum omnibus simul, quae inde exsistunt, commutationibus complicationibusque multo clarius et accuratius quam antea unquam a nobis cognitum perspectumque esse, ita ut certas jam morborum imagines, non vanas et inanes, sed vivaces quasi et agilissimas, cum omnibus earum actionibus et functionibus, proportionibus et relationibus compertas jam habeamus, quae, etiamsi ad perfectionem veritatemque absolutam nequaquam pervenimus — quo enim pervenerimus, hoc posteriorum temporum judicio discernendum permittamus — non ita longum haud dubie a veritate abhorrent, quum, quod optimum ejus rei est documentum, ***Schönleinius*** noster ingeniosissimus ***ad naturalem jam quendam ordinem nexumque*** praestantissimam nobis et distributionem et descriptionem morborum tradiderit.

Omnibus vero medicinae illis progressibus emendationibusque, modo memoratis, quae ex naturalium potissimum rerum disciplinarum incremento incredibili oriebantur, accessit aliud quoddam ingeniosissimum novissimorum temporum inventum, quo, adhibitis soni ad morbos dignoscendos legibus, primus ***Auenbrugger***, deinde ***Laennec***, ***Corvisart*** et ***Piorry***, nunc autem imprimis ***Skoda***, ***percutiendo*** et ***auscultando*** per ***plessimetrum*** et ***stethoscopum*** cavitates corporis orga-

norumque in iis sitorum statum explorare et commutationes vel subtilissimas ex affectione quadam morbosa ortas investigare nos docuere. Hoc invento studium in medicina prorsus novum est apertum, quum quae obtecta antea occultaque fuere in cavitatum recessu, jam nunc detecta et reclusa sensui processus morbosos vel secretissimos morbosque ad speciem externam simillimos distinguendos accurate indagandosque facerent; tantumque in modum, quod modo inventum fuit, excultum jam nunc provectumque est, ut valvularum etiam vitia minutissima et subtilissima organorumque absconditissime sitorum degenerationes certo exactissimeque indicare et definire valeamus.

Quantopere inde ***pectoris*** imprimis et ***cordis morborum*** nostris temporibus cognitio aucta sit, res fere omnibus est notissima. Sed et alia morborum genera ingentem in modum exculta et emendata sunt — novum ***Fuchsii cutis vitiorum systema*** commemorasse sufficiat — quin ***neurosium*** etiam, quae veteribus terra prorsus incognita erant, quum spasmorum sub nomine promiscue omnia confunderent, etsi plurima adhuc desideranda restant, tamen primum quidem nunc ad cognitionem exactiorem studiis ***Charles Bell***, ***Marshall Hall***, ***Romberg***, aliorum fundamentum positum est. Quis igitur jure meritoque, ambiguam esse artem nostram, contendere nunc quidem potest, quum vel certissima jam in omnibus fere morbis signa et indicia data, curandi vero rationes firmissimae et constantissimae nobis regulae suppeditatae sint?

Sed fortasse non supervacaneum erit, quae hic in universum tantummodo exposita sunt, quo magis per-

spicue illustrentur, exemplo quodam demonstrare. Etenim si signa *urinae* e. c. requirimus, prioris quendam pathologiae librum, vel ex extremo saeculo antecedente sumtum, inspicientes, nihil aliud memoratum invenimus, nisi fere differentias has: *urina tenuis*, *cruda*, *crassa*, *cocta*, *turbida*, *jumentosa*, *oleosa s. pinguis*, *alba*, *pallida*, *aquosa*, *crocea*, *citrina*, *subflava*, *fulva s. aurea*, *aurantia*, *latericia*, *subrubra*, *rubra*, *rosea*, *flammea*, *rutila s. rufa*, *cruenta*, *viridis*, *fusca*, *caerulea*, *livida*, *nigra*, *inodorata*, *fetida*, *copiosa* et *parca*, cum *nubecula*, *enaeoremate* et *sedimento*, *cretacea* etc. Sed quid differentiis illis omnibus, e qualitatibus externis, colore habituque urinae sumtis, de natura morborum et causis, quibus nascuntur, cognoscimus? Nihil omnino. Atqui nunc scimus, effici illas urinae differentias auctis aut diminutis, praesentibus aut absentibus *urea* et *acido urico*, *acido galactico*, *acido benzoico* et *uro-benzoico*, *salibus oxalibus* aut *uricis*, *phosphoricis*, *sulphuricis*, *hydrochloricis* et *carbonicis*, *ammoniacis* aut *natricis*, *calcaricis* aut *magnesiacis*, aut *biliphaeino*, *bilino*, *cholesterino* et *acidis bilifellinis*, aut *saccharo* et *albumine*, *muco*, *sanguine*, *pure* etc. nec vero hoc tantum scimus, in quibus processibus chemicis commutationibusve peculiaribus organicis varietates illae urinae nitantur, verum etiam ex quibusnam causis originem ducant et quae aliae iis in organismo vel formae vel materiae commutationes respondeant. Similiter vero atque in his, quae exemplo modo exposuimus, et in aliis pathologiae regionibus partibusque cognitio nostra se habet.

Quis igitur de ambiguitate et infirmitate medicinae

nostrae disputare adhuc audeat, quum certissima nobis, quae in cognoscendis dignoscendisque morbis nos adjuvent et adminiculent, ubique sint data? Habemus omnium fere morborum firmissima et probatissima signa, cognitae nobis causae, ex quibus oriantur quibusve processibus efficiantur, universa deinde morborum cognitio de toto eorum decursu et habitu, deque natura eorum et indole, inventis novis et expertis, quod supra commemoravimus, multum audaucta et emendata omninoque praestantior est, ita ut *aetiologia* imprimis morborum atque etiam *diagnosis* et *prognosis* et omnis omnino *curationis* ratio haud parum excultiores sint. Aetiologiae enim summum in curandis omnibus morbis momentum tribuendum rati, prospero plerumque successu gavisi sumus, et si nondum omnium tamen multorum jam morborum melius aetiologiam perspeximus. Quantum vero diagnosis studium effloruerit apud nos, ex eo quidem colligi potest, quod nullus fere morbus exstat, qui cognoscendus et dignoscendus difficultatem nobis discrimenve afferre possit; quin desorganisationes ipsas organorum absconditissime in corpore sitorum secretissimas et occultissimas praesagire valeamus, sicut a *Schoenleinio* nostro *melanosis* nuper *pulmonum* et praesagita et cadaveris sectione affirmata est. Quod unum ad significandum diagnosis nostrae statum exemplum commemorasse sufficiat. Atqui diagnosis recta curationis cujusque probae est fundamentum!

Veruntamen credo equidem, opprobrium eorum, qui ambiguitatis medicinam accusant, non tam in diagnosin contentum esse, quum progressus hujus adeo aperti et conspicui sint, ut omitti omnino nequeant, quam in *cu-*

rationem potius et ***therapiam.*** Loquentes mihi videor voces eorum audire: »***Quid? nonne quotidie fit, ut diversissima a medicis remedia administrentur in eodem prorsus morbo, modo hoc, modo aliud, ut, quod ab uno administratum, ab altero rursus vituperetur, quod firmissimum tanquam et utilissimum apud alterum constat, ab altero velut nocentissimum omnium prorsus reiiciatur? Quid igitur certum, quid constans in medicina? An nonne planissum est hoc ambiguitatis documentum?***«

Sed tamen, si concedimus, et quis medicus probus concedere hoc nolit, esse multa etiamnunc in therapia remediorumque administratione desideranda multaque adhuc in iis proficienda, in altera parte, vituperationem illam in medicos magis quam in medicinam ipsam cadere, omnino patet. Quaenam enim culpa transferri potest in medicinam, si medici quidam in ambiguitate dissensioneque versantur, quia diagnosin accurate non instituerint, aut remediorum vim et efficaciam ignorant, aut quod, omni in therapia ratione carentes negligentiae se dederint nequissimae ac nefariae? Nec vero medicina eorum culpam sustine repotest, qui vim et dignitatem ejus ignorant, neque de vitiis eorum et nequitia, qui abusu perversissimo studiisque pravissimis maculantur, objurgari. Omnino autem de therapia nostra, etsi nonnulli adhuc morbi restant, quibus mederi non valeamus, hoc tamen potest affirmari, multos jam tutius, citius, jucundiusque a nobis curari, inter quos nonnullos etiam, qui in malis insanabilibus antea ponebantur. Sufficit ***psychiatriae*** meminisse. Sin vero dissensio interdum inter medicos intercessit, de minutioribus ea saepissime cu-

randi rebus versabatur, quae non tantum exercent in conciendum successum momentum. Quum autem in principiis fundamentisque therapiae omnes jam nunc medicos quidem probos ac justos consentire credam, quid sibi vult, si in medicamentorum quorundam parvulorum administratione paullulum inter se dissideant, alius huic, alius illi magis remedio confidentes, quippe quod probatius existiment?

In universum therapiam nostram praestantiorem priori eam ob causam habendam existimo, quod rationi magis in curandis morbis ubique momentum tribuimus neque in empirica tantum curatione nitimur. Tum vero omnis curandi modus multo simplicior ac mitior redditus est, quum neque adeo graviter et acriter, sicut antea, in naturam invadamus sed, ubicunque fieri potest, intactam omnino eam sinamus, violare et disturbare medicatrices naturae actiones cura incommoda et inepta admodum prorsus verentes. Medicamenta denique multo usui aptiora fecimus, quum pro compositissimis veterum syrupis, electuariis, elixiribus, pilulis et trochiscis aliisque apparatus medicamentorum praeparatis, quae immensa saepissime dosi et copia administrabantur, simplicissimis potissimum ac dosi minima efficacibus nunc remediis utamur, ubique tamen naturae ipsius vires ac virtutes maxime respicientes medicatrices, sicuti nullo antea ***fontium naturalium medicatorum*** adeo usus quam nostro effloruit aevo.

Sed quoniam de medela modo morborum mentio facta est et quomodo restarent adhuc morbi, quibus mederi nondum valeamus, quaestio haec est dignissima disceptatu, quae occupare potest hominum animos, num

contacturum sit omnino unquam in postero medicinae, ut omnes aliquando morbos ac vitia corporis sanare possit. Quamvis autem plurima in utramque partem argumenta afferri possint, ego tamen potius crediderim, nunquam fortasse illud esse futurum. Etenim quemadmodum animalium generi cuique et speciei, ne in infinitum immensumque modum augeatur, sibi ipsi, consumto postremo alimento, et ceteris animantibus copia nimia exitium tandem allatura, ne harmonia unquam in numero animantium turbetur, hostis quidem singularis ac peculiaris, nimium quodque speciei incrementum additus est absumturus, sic humano generi *δαιμόνιος* tanquam hostis tantus morborum ille grex in omne tempus futurum consociatus usque videtur.

Sed fiant haec, quomodocunque placebit, si disciplinae cujusque finem extremum in eo ponamus, ut de omnibus omnino rebus, quae ad partes ejus spectant, scientiam prorsus perfectam sibi comparet, h. e. ut notitiam non modo externam quandam rerum, sed indolem ipsam ac naturam earum perspectam habeat intimam omnibusque in casibus, qui intercidunt, de remotissimis eorum causis conscia sibi facta sit, quotquot morbi ac mala insanabilia medicinae usque restiterint, ut de tota tamen curandi ratione et de omnium omnino morborum et indole et natura et causis et effectu conscientiam prorsus perfectam aliquando adipiscatur, haud immerito ab ea postulandum esse constat. Hunc finem medicinae propositum arbitrati, si, quantum etiamnunc remota sit ab illo, quantumque adhuc provehenda, nequaquam dissimulemus, viam tamen quidem rectam studiosissime eam jam nunc ingressam esse impigerrimeque persequi, nullo

modo negari potest. Quantum in cognoscenda morborum natura studium collocaverimus, supra jam expositum est, sed etiam de medela morborum, et quomodo comparatur, deque remediorum vi et efficientia ad cognitionem quandam accuratiorem atque ad veritatem pervenire diligentissime certe studuimus. An nonne multorum remediorum vim efficacem multo melius ac praestantius edocti sumus? nonne reperta habemus *alcaloidia* illa aliasque medicamentorum materias particulasque efficacissimas? nonne jam leges quasdam, quibus efficacia remedia evadant, quasve commutationes, experimentis chemicis demonstrandas, in corpore excitent, cognoscimus? nonne, ut exemplum afferam, ex *diureticis* unum diluendo sanguine, aliud, quod salina per renes praecipue excernuntur, aliud denique, quod rationem singularem cum plexibus renalibus et hypogastricis habet, efficax sese praestare scimus? nonne etiam in casibus singulis, quibusnam ex causis medicamentum quoddam cum morbo aliquo aut dyscrasia rationem illam singularem et peculiarem habere videatur, productorum pathologicorum indagatione perspeximus?

Sic est. Medicina nostra hodierna, spreta scientia ista, quae in empirica tantum arte nixa est, neque satisfecisse sibi se rata, si aut morborum naturam ex vana quadam theoriae cogitatione aut remediorum efficientiam ex inanibus ejusmodi verbis, cujusmodi *alterantia*, *dynamica* etc. sunt, demonstratura esset, explorandis ubique experiendisque factis ipsis ad cognitionem praestantiorem atque ad veritatem penetrare studens, multum haud dubie profecit et, si plurima adhuc desideranda re-

stant, eam ob causam, quae jam facta sunt, despici profecto non licet.

Sin vero nostris etiam temporibus theoriae quaedam exstiterunt, quae, alia nulla re nisi tenuitate et angustia insignes, nostrae aetatis peritiae statui dedecori sunt, illae prioris magis medicinae quam nostrae vitiorum poena esse videntur. Quorum altera, ***homoeopathia***, quum ad legem angustissimam, nulla experientia, ex naturae cognitione sumta, probatam, morbos tractare conetur, curandique rationem tantummodo ***symptomaticam*** instituat, omni omnino in curandis morbis ratione caret. Altera, ***hydrotherapia***, per ***aquam*** cunctum morborum genus optime sanari expellique opinata, ***Lutheri*** illam sententiam,

Wasser thuts freilich nicht

jam nunc contraria,

Wasser thuts freilich

ad irritum redigere studebat. Quo curationis instituendae modo, confluente undique ***Graefenbergiam*** ingente hominum numero, qui explendo totum corpus aqua purissima montana, bibendoque per totum diem et plus plusque indies nil nisi aquam, sudando et refrigerando sub fontibus etiam salientibus cataractularumque sub violentia contra vitia vetustissima ac mala inveteratissima non per hebdomadum aut mensium sed per annorum integrorum continuorumque spatium salutem petierunt, si forte, apto magis equorum et bestiarum quam hominum, ratione prudentiaque praeditorum, viribus, sanationis prosperae exempla quaedam exstiterunt, quid hoc mirum, ubi tantum laboris tantumque temporis in curandi studium operamque sit impensum? Qua autem

ratione regulae illi, *cito et jucunde* curandi morbos, curationis modus iste respondeat, jam supervacaneum videtur memorare. Cui vero hic in memoriam non redit *Goethii* nostri sententia illa? ubi ait:

Begib dich gleich hinaus aufs Feld,
Fang' an zu hacken und zu graben,
Erhalte dich und deinen Sinn
In einem ganz beschränkten Kreise,
Ernähre dich mit ungemischter Speise,
Leb mit dem Vieh als Vieh, und acht' es nicht für Raub,
Den Acker, den du ärntest, selbst zu düngen;
Das ist das beste Mittel, glaub',
Auf achtzig Jahr dich zu verjüngen!

Verum mittamus theorias illas vanas atque inanes, quae aeque prorsus evanescent e temporum memoria, atque omnia ejusmodi studia vana atque inania et antea semper in oblivionem mox iere, nisi ludibrio forte et irrisui hominibus quondam evadent, quod tanta sectatorum cohors falsa illa et perversa salutis specie deludi potuerit. Medicina autem proba ac vera ejusmodi studiis nunquam tacta, nec turbata ineptis stultorum opiniunculis, via, quam ingressa est, protinus usque fortiter procedet.

Quodsi quae de medicinae nostrae hodiernae statu exposita modo sunt, uno jam verbo complectamur, hanc ei laudem tribuendam arbitror, quod libera tam ab omnibus theoriae cujusdam falsae cogitationibus, quam a perversa empiricae tantum artis negligentia, totam se de-

didit naturae studio, mero ac diligenti et, indagando usque explorandoque assiduissime et impigerrime peritiam semper adaugere et amplificare, quae autem invenerit, colligare et connectere ratione enixa, etsi plurima desideranda et proficienda adhuc restant, multum tamen ad cognoscendos melius sanandosque jamjam profecit morbos. Indagationem liberam atque diligentem hanc propriam sibi medicina nostra proposuit, et ubicunque fidelis remanebit mero illi atque assiduo almae suae matris, naturae, studio, non recusata vero ratione, quam quo divinas ipsas tam in toto mundorum orbe quam in minutissimis terrae nostrae moleculis particulisque facilius leges introspiceremus, divinitus nos homines accepimus, tum solidam eam atque firmam scientiam peritiamque sibi comparare perget, qua sola omnis est salus freta, arsque verius indies medicatrix generis humani evadet!

Quae quum ita sint, beatos nos praedicemus liceat, quibus in aetate, quae investigationibus explorationibusque assiduissimis ubique et subtilissimis de naturalibus omnibus rebus in sano et in morboso statu cognitionis peritiaeque copiam sibi comparare studens ad veritatem non solum propius accessit, sed ad statum jam conscientiae rectae quendam pervenit, vivere sors benigna annuit. Sed tamen ne credat quisquam, quia ita res se habeat, acquiescere se posse in otio. Imo, quoniam status sui ipsius conscia jam facta est medicina, eam ipsam ob causam id quoque, quot quantaque etiamnunc proficienda sibi sint, omnium optime cognovit. Itaque studeat, nitatur, elaboret strenuissime unusquisque necesse est, ut exquirendo ubique et indagando diligentissime et ipse pro sua virili parte juvet provehatque artem. Ete-

nim qui id facere negligit, neque arti unquam neque officio et proposito satisfacere valebit. Qui autem bene conscius est propositi et officii memor, amplificare et cognitionem suam artemque dilectam augere indies strenue ac fortiter studens, ei et fortuna prospera in arte et vita et laus apud homines contingat in sempiternum!

VITA.

Natus sum ego ***Ludovicus Fridericus Guilelmus Graevell*** Vratislaviae Silesiorum anno hujus saeculi undevicesimo die II. Septembris, patre ***Guilelmo***, matre ***Joanna a Reiswitz***, confessionique sum evangelicae addictus.

Posteaquam felicissimam domi pueritiam peregi, principiisque literarum ab ipsis parentibus fui instructus, abrepta praematura carissima matre morte, ab aliis plerumque hominibus educatus informatusque extraneus, gymnasium frequentavi ***Bonnense***, scholam ***Portensem***, postremo gymnasium ***Fridericiano-Guilelminum Berolinense***, a quo testimonio maturitatis anno h. s. XXXIX, aetatis undevigesimo, instructus, almam literarum sedem ***Viadrinam Vratislaviensem*** petii, ubi ab Ill. ***Otto***, tunc fasces academicos tenente, civium universitatis numero adscriptus et apud Ill. ***Purkinje***, gratiosi medicorum ordinis t. t. decanum spectatissimum,

nomen rite professus, quatuor per semestria artis medicae rerumque naturalium studiis et praelectionibus vacavi.

Jam autem relicta *Viadrina* anno h. s. XLI universitatem literariam adii ***Fridericianam Halensem***, ubi ab Ill. ***Gruner***, t. t. prorectore magnifico, inter cives academicos receptus et sub auspiciis Cel. ***Krukenberg***, gratiosi medicorum ordinis t. t. decani maxime spectabilis, facultati adscriptus, per semestria duo professorum scholis interfui.

Inde ad hanc me contuli universitatem literariam ***Fridericam Guilelmam Berolinensem***, ubi ab Ill. ***Dieterici***, t. t. rectore magnifico, civibus academicis adscriptus, ab Ill. ***Juengken***, ordinis medici t. t. decano spectatissimo, inter facultatis sodalium numerum receptus extrema duo quadriennii academici semestria peregi.

Per octo illa semestria scholis praelectionibusque interfui his: physicis apud Ill. ***Pohl***; chemicis apud Ill. ***Fischer*** et Ill. ***Schweigger***; mineralogicis apud Ill. ***Glocker***; botanicis apud Ill. ***Goeppert***; zoologicis apud Ill. ***Gravenhorst***; logicis et psychologicis apud Ill. ***Braniss***; de encyclopaedia medicinae apud Ill. ***Henschel***; anatomicis apud Ill. ***Otto*** et Ill. ***Joan. Mueller***; physiologicis apud Ill. ***Purkinje***; pathologicis apud Ill. ***Klose***; de materia medica apud Ill. ***Wendt***; de arte formulas medicas concinnandi apud Ill. ***Remer***; de fasciis et instrumentis chirurgicis apud Ill. ***Benedict***; chirurgicis et aciurgicis apud Ill. ***Blasius***; therapeuticis apud Ill. ***Krukenberg***; de mor-

bis cutaneis apud Cel. ***Isensee***; obstetriciis apud Ill. ***Hohl***; de historia artis medicae apud Ill. ***Friedlaender***; de sectionibus forensibus apud Ill. ***Otto***.

Exercitationibus clinicis interfui medicis apud Ill. ***Krukenberg***, Cel. ***Romberg*** et Ill. ***Schoenlein***; chirurgicis apud Ill. ***Blasius***, Ill. ***Juengken*** et Ill. ***Dieffenbach***; obstetriciis apud Ill. ***Hohl***.

Quibus omnibus viris Illustrissimis, Celeberrimis maximas, quas possum palam habeo gratias easque in sempiternam habebo.

Jam vero tentaminibus, tam philosophico quam medico et examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine, auspiciis Ill. ***Joan. Mueller***, ejus ordinis h. t. decani spectatissimi, rite absolutis, fore spero, ut, dissertatione thesibusque publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantnr.

THESES.

1. Scrophulosis et tuberculosis idem est morbus.
2. Morbus maculosus Werlhofii nisi tempestate humida non invenitur.
3. Aloë pessimum est haemorrhoidariis et hypochondriacis aperitivum, quia congestionis abdominalis statum auget.
4. In hydrophobia nicotinum dignum est expertu.
5. Nimio opii usu vasa cerebri dilatantur.
6. In operandis polypis majoribus fibrosis ligatura omnino rejicienda est.
7. Morbi psychici ex somatica plerumque causa originem ducunt.
8. Vulnus, exstirpato carcinomate, ubicunque fieri potest, prima intentione claudendum est.
9. Acidum carbonicum venositatem sanguinis non temperat sed auget.
10. In excerebratione foetus cephalotripsia perforationi omnino praeferenda est.
11. In hydrocephalo sternutatoria prosperrimum saepe movent effectum.
12. In teleangiectasia excisio omnium optima est operatio.
13. Dysenteria inflammatoria adstringentium usum vetat.
14. In cataracta simplici, salvo adhuc oculo altero, operationem nunquam admitti licet.
15. Catarrhus intestinalis ex atonia ortus ferri muriatici usum indicat.
16. In dysmenorrhoea pulmonali non in pectore sed in cruribus sanguis est extrahendus.
17. Degeneratio renum in morbo Brightii albuminis depositione efficitur.
18. In cirsocele cura magis medica quam operatio commendanda est, Breschetii methodus omnino rejicienda.
19. In angina membranacea remedia praecipue adhibenda sunt antiplastica.
20. Venena metallica usu continuo gravius quam dosi una quamvis magna nocent.